

438

436

442

432

447

427

487

387

337

423

tristitiae Apostolorum venerati sumus. In ipsis autem cavernis  
consistentes sic peregrinus ad peregrinum colloquebatur: ecce,  
frater, in hac caverna forte resedit dilectus (162 A) Apostolus  
Andreas, plorans magistri sui calamitatem. Alius ex opposito  
sedens dixit: et hic sedit apostolus Bartholomaeus, lamentans,  
se deseruisse dulcissimum magistrum. E contra alter in alia  
spelunca dixit: et hic sessionis locus est, in quo forte Thomas  
dubius cum tristitia sedit. Ex alio vero caverna alias peregri-  
nos advocans, dicens: ecce, hic duo loca simul in hoc tene-  
broso specu, ubi, ut opinor, sederunt duo Apostoli simul, Simon  
et Iudas. Et ita jocando devoto certamine quilibet locum  
attribuit apostolo illi, quem magis dilexit. In eodem horto  
ingressi sumus quandam singularem speluncam, dominico  
sepulchro simillimam, prout erat in suo primo statu. Circa  
haec loca dictis orationibus indulgentias recepimus (†).

De sancto agro Acheldama emto pretio sanguinis  
Domini Jesu Christi.

Latebris discipulorum perspectis ulterius montem Achel-  
dama ascendimus per clivum rupium et petrarum, duram et  
saxosam viam, in quo ascensu quidam milites teneri et delicati  
facti fuerunt impatientes, et murmurabant pro labore itineris.  
Eramus enim incensi calore vehementissimo solis; processimus  
tamen sursum, et super agrum sanctum Acheldama venimus.  
De hoc agro habemus Matth. XXVI.: qui ante passionem  
Christi dicebatur ager figuli, quia forte erat possessio cujusdam  
figuli. Hunc agrum emerunt Judaei pro illis XXX. quos  
dederunt Judae pro Domino Jesu, in sepulturam peregrinorum,  
quorum corpora ante hoc tempus insepulta projiciebantur.  
In hoc ergo sacro agro in facies nostras procidimus et ora-  
tiones praescriptas legimus et indulgentias plenariae remis-  
sionis accepimus (††). Et his peractis resedimus ad pausandum  
et ad loci considerationem. Nobis sic sedentibus adscendit ad  
nos quidam juvenis Sarracenus portans sportam plenam botris,  
de quibus emimus, et ita super agrum manducavimus, et bene  
recreati fuimus.

Ende

Anfang

